

et superiores ac monasteriorum abbates, commendatarii et alii  
 administratores, regiminis et administrationis ecclesiarum et mo-  
 nasteriorum eorumdem, reliqui vero ab eis omnium et singulo-  
 rum beneficiorum, dignitatum, personatum, administrationum  
 et officiorum, canonicatum et praebendarum, aliorumque bene-  
 ficiorum ecclesiasticorum, quae tunc obtinebunt et graduum ad  
 quos promoti forent, privationis poenam, sine ulla spe restitu-  
 tio-  
 nis ad ea, incurant similiter eo ipso; de quibus possit et debeat  
 per sedem apostolicam et ab illa facultatem habentes apostolica  
 auctoritate dumtaxat absque alia declaracione incursus poenae  
 hujusmodi illico provideri. Concedimus tamen quod in cathe-  
 dralibus et aliis collegiatis et non collegiatis ecclesiis et domibus  
 praedicatorum et minorum ac aliorum religiosorum et saecula-  
 rium duo, tres, quatuor, quinque vel sex pro custodia secundum  
 magnitudinem et parvitatem ipsarum ecclesiarum vel domorum  
 conversi et illiterati vel clerici in minoribus ordinibus constituti,  
 et in ecclesiis parochialibus pro ministrando baptimate parvu-  
 lorum, poenitentia morientium et aliis sacramentis ecclesiasticis  
 quae ministrantur tempore interdicti, earum rectores seu alias  
 curae animarum praepositi ibidem licite valeant remanere. Ec-  
 clesiis autem et monasteriis, domibus et locis ecclesiasticis, in  
 quibus interdicto hujusmodi durante missae et alia divina officia  
 fuerint celebrata contra interdictum hujusmodi et quorum per-  
 sonae contra mandatum nostrum illis remanere praeumpserint,  
 omnes gratias, omnia privilegia et indulta adimimus, ita ut eis  
 in posterum nullatenus suffragentur. Ad reprimendum praeterea  
 eorumdem Venetorum inobedientiam et aliena rapiendi et tenen-  
 di insatiabilem cupiditatem et temerarios conatus: universis et  
 singulis ducibus, marchionibus, communitatibus, baronibus, do-  
 micellis, feudatariis, vicariis et vassallis ac aliis quibuscumque  
 in temporalibus praefatae Romanae Ecclesiae mediate vel imme-  
 diate quomodolibet subjectis et non subjectis districte praecipi-  
 mus et mandamus, ne ad stipendia eorumdem ducis, consilii et